



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Eustasius Abb. 29. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

19. Mart. VITÆ SANCTORVM. 165  
esse juberet. Ita ab officio dejectus omnibusque  
exutus in exilium nihil præter innocentiam ex-  
tulit fidemque Deo servatam. Jam ARMOGASTVS  
cum nervis tibiæ & frons torquerentur, nervo al-  
tero hos & fortiori (cruce) non semel rupit. E pe-  
dibus suspensus dormire poterat videri. Ad fabu-  
lum eruentum damnatus virum in arenâ se præ-  
sttit. Bubus pascendis præfectus dignum hunc  
Martyre magistratum censuit esse. Mortuus quo-  
que tumulari, tamen non nisi sub arbore voluit.  
Sed egesta sub hâc humus sarcophagum è mar-  
more ostendit tam splendidum magnificumque,  
ut invidere tumulum pastori Reges potuerint. Ex  
Vic. Vticens.

*Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in  
eternum fieri mendicus quis durabit? Cur ergo Chri-  
stianus, cui militare est id quod vivit seculo, non cogi-  
tat, ut pericula terrena otiis caelestibus consoletur? S.  
Pet. Chrys. serm. 54.*

S. EUSTASIUS ABB. 29. Martii.

**C**olumbani discipulus fuit EVSTASIVS, ejusq;  
in Luxoviensis Cœnobii præfecturâ succeſ-  
for. Pœnitentium dolori ita semper condoluit, ut  
prior ipse lacrimas daret, imò suis illorum proli-  
ceret lacrimas, optimam semper peccantibus me-  
dicinam. Etsi igitur lacrimis oculos suos corrumpere videretur, geminis tamen virginibus resti-  
tuit amissos. Has inter Burgundophora fuit Cha-  
gnerici viri nobilis filia, & Deo jam olim despon-  
sa; quæ cum posteà, parente auctore, hominis  
thalamum cogitaret, vindicavit febris cogitatum  
adulterium, &c, ut patri dolerent oculi, filiæ suos  
cripuit. As EVSTASIVS primò patrem facinus suum  
videre,

videre, tum filiam etiam diem fecit. Jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EVSTASIVM licet. Et tulit ille operæ premium suæ, non item Agrestinus, homo temerarius ac vafer, nihilque monachi præter nomen vestemque præferens. Hic malus in eum diem discipulus, religionis tamen magisterium affectavit, & cùm minus ex sententiâ cederet, instituit magistrum EVSTASIVM totumque Columbani gregem calumniis petere, eamque in rem socios cogere. Sed ex his aliis lupus, aliis fulmen, morbus aliis, ipsi Agrestino silentium securis imposuit a servulo impacta; cùm eum non multò antè accusatorem expertus EVSTASIVS, ad divinum tribunal vocasset. Secutus hic paulò post, prævisâ (quò minus timeret) morte, rectius accusaturus Magister discipulum ingratum. *Ex Surio.*

*O si velimus omnem mentis nostræ paralysin pervidere, animam nostram virtutibus desitutam jacere in vitiorum stratis videremus: luceret nobis, quemadmodum Christus & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit & per urge invitos. S. Pet. Chrys. serm. 50.*

S. MECHTILDIS. V. 29. Martii.

**C**eras alii avitas in MECHTILDE easque Principum & Imperatorum numerant; at nos virtutes, quas si non omnes enumerare poterimus, aliquas certè advocabimus. Et primò quidē, quod fere amat in illustribus puellis fieri, in cunis sponsa videtur, sed nimirum Christo. Certè quinto ætatis anno è parentis in DEI abiit Parthenonem, qui Diessæ tunc fuit. Ab hominis thalamo quam abhorruerit, inde astimes, quod omni lecto abstinerit,

puerit,